



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

XXXIV. De priuilegio Callisti Papæ sancientis, nulli mortalium licere  
religiosa opera eius vel instituta cassare.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**

*Quod stipendia Episcopalis mensa nunquam  
in aliquo minuerit.*

## CAPVT XXXIII.

*Thimon.  
Reditus mensa  
Episcopalis di-  
ligenter conser-  
uat S. Otho.*



Stipendia Episcopalis mensę nullius vnquam ne-  
cessitatis occasione minorauit, Sed, si quid de  
patrimoniali fundo Ecclesię maricis, propter  
adiacentiam & opportunitatem, Cœnobiis con-  
tulit; emptitiis & aduentitiis prædiis recompen-  
samento curauit ei: quia de iniusto non posse fieri dicebat elee-  
mosynam: Iniustum autem, imò iniuriam maximam esse af-  
firmabat, aliqua largitione aut feudatione sine recompen-  
satione, tabulam minuere successorum. Ad hanc ergò exclu-  
dendam suspicionem, ne cuiquam succedentium sibi Episco-  
porum fas sit dispositioni eius, quæcunque superordinare,  
vel ab ipso bene ordinata rescindere, sedes Apostolica, eius  
postulatione, super his omnibus huiusmodi ei confirmatio-  
nis priuilegium porrexit.

*De priuilegio Callisti Papa sancientis, nulli  
mortalium licere religiosa opera eius,  
vel instituta cassare.*

## CAPVT XXXIV.

Callistus Episcopus seruus seruorum Dei,  
venerabili fratri Ottoni Babebergeni E-  
piscopo, salutem & Apostolicam bene-  
dictionem.

*Refert hoc di-  
ploma. Baroni  
ad annũ Christi  
1124. Et liquet  
ex Indicatione  
subiuncta.  
Vide Vitam e-  
ius. à Can. lib. 1.  
cap. 16.*



*Anctorum Patrum præceptis & Canonicis sanctio-  
nibus demonstratur, quòd prædia & possessiones  
Ecclesiarum, quæ vota fidelium, precia peccato-  
rum,*

rum, & pauperum patrimonia non immeritò nuncupantur, vendi, vel alienari non debeant. Quae enim diuina maiestatis obsequio & caelestium secretorum vsui sunt dicata, non decet in alienum ius redigi, vel in alterius seruitij formam transmutare: nempe, vt Beati Symmachi verbis loquamur; Possessiones, quas vnusquisque Ecclesie proprio dedit aut reliquit arbitrio, alienari quibuslibet titulis aut distractionibus, vel sub quocungq; argumento non patimur.

*Alienari non debent, quae semel Deo dicata sunt.*

Ea propter, nos tuis iustis postulationibus annuentes, \* mansos, qui Episcopalis mensa tua seruitio dediti sunt, in eodem statu, in quo bene à te dispositi cognoscuntur, futuris temporibus permanere, praesenti scripti nostri confirmatione sancimus, statuente, vt nulli successorum tuorum, vel alicui hominum liceat eos vendere, siue in Laicorum beneficium trahere, aut in vsus alios commutare: Sed, sicut à te dispositum est, de vnoquoque praedictorum mansorum denarius vnus, annis singulis, Babebergeni Ecclesiae, pro anima Imperatoris Henrici fundatoris eius, ad concinnanda luminaria conferatur.

\* Mansus, seu Mansum; est fundus, vel pradium.

Mansuarij, Sillici mansos incolentes: Idem Manentes appellatur; quod in Mansis manent.

Abbatias verò & regulares Canonicas per industriam tuam in religionis Ordine stabilitas, & alia à te rectè constituta, nulli hominum facultas sit in posterum immutare. Si quis autem contra hanc nostram confirmationem venire temerario ausu praesumpserit, excommunicationis vinculo subiacebit. Data Laterani, Idib, Aprilis, Indictione secunda.



Quomo-